

Dissertatio medica inauguralis de podagra ... / [William Bullock].

Contributors

Bullock, William.
Rijksuniversiteit te Leiden.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Theodorum Haak, 1765.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mdpqugpk>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

16109/P

62165

DISSE^RTATI^O MEDICA
INAUGURALIS

D E

P O D A G R A ,

Q U A M ,

A D S P I R A N T E S U M M O N U M I N E ,

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS,

FRIDERICI WILHELMI PESTEL ,

JURIS UTRIUSQUE DOCTORIS ET PROFESSORIS JURIS PUBLICI ET PRIVATI IN ACAD. LUGD. BAT. ORDINARII ,

N E C N O N

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu , & Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto ,

P R O G R A D U D O C T O R A T U S

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis , ritè ac
legitimè consequendis ,

Eruditorum Examini submittit

G U L I E L M U S B U L L O C K ,

A N G L U S .

Ad diem 25. Maii MDCCCLXV. Hora Nona.



L U G D U N I B A T A V O R U M ,

Apud THEODORUM HAAK , 1765.

Cum par scientia sit, utiliorem tamen medicum esse amicum,
quam extraneum.

CELS, *pref. p. 19.*




V I R O
N O B I L I S S I M O
GEORGIO CAVENDISH,
N E C N O N
HENRICO HARPUR
E Q U I T I A U R A T O;
IN CONVENTU PUBLICO MAGNÆ BRITANNIÆ
SENATORIBUS INTEGERRIMIS;
ARTIUM SCIENTIARUMQUE LIBERALIUM FAUTORI-
BUS EXIMIIS; MORUM ELEGANTIA COMITATE,
IN SIGNIBUS; BENEVOLENTIA ET LIBERALI-
TATE PRÆCLARISSIMIS;
PATRONIS SUIS SUMMOPERE COLENDIS, HOCCE IN
MEDICINA TENTAMEN, OMNI QUA PAR
EST OBSERVANTIA,


D. D. D.
GULIELMUS BULLOCK.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30356003>



D I S S E R T A T I O M E D I C A
I N A U G U R A L I S,
D E
P O D A G R A.



Doloribus quibuslibet artus graviter infestantibus : id quod vox ipsa declarat , arthritidis nomen antiqui posuere . Hos , majori curâ adhibitâ , in duo genera diviserunt recentiores , arthriticos nempe & rheumaticos : quomodo autem inter se discrepent postea investigandum est . Nec quidem aut inter antiquos aut hodiernos defuere , qui morbos tam visceribus quam artubus dolorem afferentes , arthriticos nominarunt : quoniam enim sibi invicem alternatim succedere soleant , naturâ haud prorsus absimili esse & ab iisdem causis pendere videntur .

A Quod

2 D I S S E R T A T I O M E D I C A

Quod vero non semper una eademque humani corporis pars arthriticis doloribus est obnoxia, variis quidem titulis arthritis ipsa fere distinguitur. Si in manu chiragra, in acetabulo ischias, in genu gonagra, in pede vero podagra appellatur. De podagræ naturâ in hoc opusculo mihi est in animo maxime differere.

HISTORIA MORBI.

Quamvis a Cl. van Swieten commemorata sunt exempla pendum hujus morbo correptorum, nullo alio symptomate antecedente, plerumque tamen paroxysmus regularis sequenti modo ingruit.

Paucis ante ejus accessionem diebus, concoctione læsâ, ventriculi cruditatibus & languore ciborum fastidio, siti, stupore lethargico, flatuumque quasi sensu in femorum musculis, æger affici solet. Pridie ante paroxysmi accessum, plerumque æger ciborum avidius evadit. Hunc vero morbum instare crebro oritur suspicio, si siccitate insolitâ pedes affiantur. Sub accessu etiam repentinâ Veneris appetentiâ æger sollicitari, ejusque caput indigestâ idearum mole, & quasi nubeculis obrui solet.

Hora circiter post medianam noctem secundâ è somno fere excitatur, pedis pollice plerumque, modo calce, plantis modo, suris (a) nonnunquam aut etiam talis subito dolore correptis. Tali autem sensu artus afficitur ac si os è loco proprio dijiciatur, aut parti ipsi insanæ aqua prope gelida perfundatur. Postea accedunt frigus & horrores, cum multis aliis ejusmodi quæ fe-

(a) Cœl. Aurelian. lib. V. p. 558.

febrim fere comitantur, phænomenis. Mox evanescit frigus pariter & horrores; sensim sensimque ad noctem usque ingravescit dolor, modo pedum ligamenta vehementer tendi & lacerari, modo cuneus (*b*) inter ossa violenter infigi, modo canini morsus quodammodo persentiri, partes nonnunquam vehementer corripi interdumque demum ipse tendo Achillis cruciatibus extendi accerrimis videatur. Partibus quidem podagra affectis adeo tenera est sentiendi facultas ut sine summo dolore ne quidem stragula aut cubiculum levissime moveantur. Ad varias lecti partes artum infirmum subinde æger convertit; seque hinc & inde ipse constanter usque ad horam secundam vel tertiam post medium noctem jactat; quo tempore sudoribus blandis subortis, somnus obrepere solet. Fætidus admodum hic sudor esse, instar fumi sulphurei (*c*) argentumque cæruleo, aut fusco colore imbuere, observatur. E somno solutus, doloribus remissis, partem turgescere sentit, cum prius venæ solummodo inflari viderentur. Biduo aut triduo raro immunis est pars affecta cruciatibus; qui quidem mane mitiores, vesperi autem acerbiores sunt. Paucis post diebus eodem fere modo alter etiam pes tenetur.

Cum robustiores hic morbus, eosque, qui arthriticis doloribus non diu laboraverint, invadat, ad quatuordecim dies; cum æstate provectiones qui subinde hisce malis laborare consuerunt, ad duos menses sæpe producitur; qui vel senio vel morbo sunt confecti non nisi sub æstate convalescere solent.

(*b*) Van Swiet. Tom. 4. p. 313.

(*c*) Coste, Traité pratique sur la goutte. p. 23.

Per dies à morbi initio quatuordecim urina est colore ardentissimo, sedimentis rubris arenofisque demissis; nec meiendo æger emittit amplius quam partem circiter tertiam eorum quos potavit liquorum. Tarda plerumque est alvus. Per totum morbi spatium ægri à cibis abhorrent; rigoribusque per totum corpus vespertinis & gravedine quadam, sensuque admodum molesto earum etiam partium quæ doloris magis sunt expertes, laborant. Cruciatibus remissioribus factis, pes morbo tentatus vehementissimo corripitur pruritu; præsertim inter medios digitos, è quibus crustulæ decidunt furfuraceæ; imo ipsi pedes, cuticulæ prorsus, quasi veneno quodam assumpto, (d) nudantur si aut morbus male tractatus esset, aut jam inveterasset; ex pedibus sede sibi propria, ad cubitos, carpos, manus, genua, coxasque, (e) alias autem ad dorsi vel thoracis musculos, aut etiam colli dorsique vertebraes, aut ossis sacri apicem, transferuntur. Maxillarum, temporumque musculi, imo, teste Aretæo (f) vel nasus, aures, labia, partesque cranii suturis intermissæ, nonnunquam arthritide tentantur. Digitæ sæpè ita contrahuntur ut immobiles planè fiant, & tophi, cretæ, cancrique oculorum speciem præ se ferentibus, artuum ligamentis in nascuntur. Femore correpto, percipitur nonnunquam quasi grave pondus sine magno dolore ei appensum (g). Si genu labore, acutissimus plerumque est dolor, præsertim cum æger

(d) Hoffm. Tom. II. p. 340.

(e) Aret. c. 12. p. 66.

(f) Ibid.

(g) Hoffm. Tom. 2. p. 340.

se movere conetur, & eousque contrahitur artus, ut saltem in aliquod tempus vix pedibus se sustinere valeat.

Quotiescumque sub tali formâ nobis se morbus ostendat, per totum fere annum, paucis quidem mensibus aestivis exceptis, durare solet, non sine doloribus ægritudine, ciborumque fastidio. Quando res sicce habet, raro de integro redeunt ægrotanti suæ vires ne quidem paroxysmis intermissis; at sæpiissime hæmorrhoidibus, eructationibus post cibum graviter olentibus, non sine sapore putido, totiusque corporis languore opprimitur. Eiusmodi reddit urinam ac si diabete (*b*) laborasset. Immani tentatur prurigine tam dorsum quam aliæ corporis partes, & quidem maxime sub horâ somni. Nonnunquam somno irrepente, talis sensus repentina percipitur ac si fustis ictu perfringatur metatarsus. Nec quidem in hoc morbo mens nihil patitur. Instante enim paroxysmo, magis iracundiæ sunt propria, multisque timoribus, anxietatibusque pleni, mitescente vero, ad placidum statum suum illico restituitur animus, atque tum demum miris modis pollet intellectus.

Paroxysmi, morbo jam inveterascente, lenius se habere videntur, partiumque antea læsarum dolor valde mitigatur, tum vero arthritis irregularis evadit, & pulmones, cerebrum, ventriculum, intestina, renes, aut alia viscera corripit. Ubi cunctaque hanc formam induit arthritis, sive fit præ naturæ defectu, sive ægri ipsius in rebus nonnaturalibus sic dictis, errore, sive ratione medendi incautius institutâ, eam nemo nisi medicus peritissimus ab aliis morbis ad partem dolentem peculiari-
ter

(*b*) Sydenh.

6 D I S S E R T A T I O M E D I C A

ter spectantibus dignoscere valebit. Denique cum jam morbi diuturnitate adeo infirma reddantur viscera, ut suis muneribus fungendis non amplius sufficient, *vitam scena brevem toto cum dramate claudit.*

Maxime ex omnibus aliis Rheumatici dolores affines sunt arthriticis. Sunt autem plerumque a se invicem dignoscendi tam ex ægrotorum ætate, sexu & temperamento, quam ex morborum causis, symptomatibusque.

Rheumaticis malis omnis ætas est obnoxia; ad podagrum procliviores sumus annis maturioribus. Illa æque viros ac fœminas sine discrimine, hæc homines sæpius quam mulieres invadit. Podagra mulieres nunquam affligi dixit Hippocrates dum catamenia debitos suos tueantur cursus. Sub nostro autem cœlo res se aliter habere videntur. Multæ enim ex nostratisbus hoc morbo prius tentantur quam catamenia fluere desistant; imo etiam ipsæ illæ fœminæ quarum menses copiosius & sæpius quam solenne est erumpere solent.

Rheumatismus nullis parcit temperamentis; sed pinguibus, (i) hominibusque crassiori corpore infestior est podagra: tenuiores, raro sunt podagrī. Neque tamen hæc de podagra observatio vera adeo sit habenda ut nunquam fallax existimari debeat; imo rem omnino se aliter habere, præsertim cum morbi a parentibus descenderint, sæpè inveniemus.

Fontes etiam è quibus effluunt hæc duo morborum genera multum a se invicem discrepant. Cælo gelido vaporibus referito, maximâ ex parte suam rheumatismus debet originem; hujusmodi

(i) Sydenh. p. 435.

jusmodi causis exterioribus raro gignitur podagra: teste tamen Cl. van Swieten, fossores & pescatores inter Batavos, (*l*) quorum pedes aquâ ferè constanter diffluunt, arthritico cruciantur dolore; hujusmodi exemplum nos ipsi notavimus. Ex musculis insigniter distractis (*m*) uterque morbus nonnunquam profluit. Per totum annum, saepius tamen autumno, rheumatismus; podagra plerumque vere (*n*), aliquando etiam æstatis sub finem suos exerceat impetus.

Dignoscuntur autem sedibus fibi invicem propriis. Tenditnum enim aponeuroses musculis circumdatæ rheumatismo exagitari solent, altiores agit radices podagra, & revera, ut ita dicam, est morbus articularis.

Attamen jampridem observarunt medici, non membra solum, sed viscera etiam podagra vexari; & si forte cerebrum inde doleat, paralyticos, apoplecticos, aut alias nervis præcipue insidentes; si pulmones, asthmaticos, peripneumonicosque confieri morbos. Multi etiam medici rheumatismo quoque viscera tentari suspicantur.

CAUSÆ PRACTISPOVENTES.

Nullus fere morbus est qui frequentior podagra a parentibus trahatur. Hoc morbo viri saepius quam mulieres ægrotant. Ante trigesimum ætatis annum pauci sunt huic obnoxii. Junio-

(*l*) Van Swiet. Tom. 4. p. 306.

(*m*) Ibid. Tom. 4. p. 297.

(*n*) Cælius Aurelian. lib. 5. p. 558.

(*o*) Syd. p. 436.

niores vero podagrīcīs parentibus nati frequenter infestantur. Lautius vivendo impetus fiunt maturiores. Sæpius in hunc morbum incident plethorici, qui craniis formantur ingentibus, corporis habitu humido atque pleno, & robustiores nimisque luxuriante temperie. Insigni acumine ingenii gaudentes hujus mali semina naturis suis quasi insita, tenent. Itaque Sydenhamo annotatum est, *articularius ille morbus (quod vix de quovis alio affirmaveris) divites plures interemit quam pauperes, plures sapientes quam fatuos.*

C A U S E O C C A S I O N A L E S.

Integri ab ejus insultibus sunt pauci, qui ab ipso vitæ limite luxu diffluere consuerunt, omisis præsertim exercitiis (*p*) usitatis, & molli otio, senibus solis optando, intempestive præoccupati. Nec magis tuti sunt ii qui vinis jam diu usi generosioribus ad tenuissima fese illico conferant. Nec quidem multum ab iis hocce infortunium aberit, qui acidioribus (*q*) jamdiu potulentis delectantur, aut quorum inferiores corporis extremitates cœlo humido frigoribusque continuis exponuntur; aut qui studiis se nimium abdiderunt, aut in adolescentia haud satis a Veneris illecebris abhorruerunt. Multa ferunt incomoda, morbo quovis chronicō, podagra præsertim laborantibus, graves animi perturbationes (*r*).

C A U

(*p*) Sydenh. p. 545. & Cælius Aurelian. morb. chron. lib. 5. c. 2. p. 558.

(*q*) Van Swiet. Tom. 4. p. 297.

(*r*) Hoffm. Tom. 2. n. 243.

CÄUSA PROXIMA.

Si causam hujus morbi proximam spectemus, suam ducere originem videtur ex totius habitus defectu; de singulis vero paroxysmis quid aliud statuendum est quam quod tot tantisque natura ipsa moliminibus acriter ad salutem ægrotantibus restituendam annititur? Utrum ab materia acri extremitatibus immissa profluant paroxysmi, aut à quovis nervorum interiori defectu, nullo ad sanguinem respectu habito, pro certo affirmare foret difficillimum. Qui priori favent sententiæ risu digniores fortasse ideo censendi sunt quod tam strenue demonstrare conentur, quali natura ea sit acrimonia unde morbum provenire contendunt, dum alii acida esse, alkalina alii obnoxie disputant. Ex quo autem artis chemicæ evasimus peritiores, vana hæc omniq[ue] veritate destituta figmenta facile propulsare possumus. Eorum oppugnatores, quia quæ sit hujus acrioris materiæ natura ostendi nequit, talem omnino existere pernegerant; ipsi quidem in errorem incidunt, propterea quod innumeræ sint quibus irritetur humanum corpus substantiæ; quarum intima tamen natura chemicos etiam peritissimos adhuc latet; hujusmodi profecto sunt Ipecacuanha, Cantharides, Sennapi &c.

Cum partes exteriores colore rubro, tumoribus, vehementi-que ardore afficiuntur, acrem adesse materiem verisimillimum est, quia eosdem effectus à rebus acrioribus ad capillares corporis arterias adhibitis, observare licet; nec è contra argumenta invenientur quibus tales effectus à quopiam interno nervorum

10 D I S S E R T A T I O M E D I C A

defectu ortum suum ducere demonstrari possunt.

Duæ sunt omnino causæ è quibus prædicta inflammationis phænomena pendere credamus. Aut enim ex parvis arteriis proficisci videntur, si quando eæ ita se habeant ut levissimis de causis quam maxime doleant adeo ut ab ipso stimulo sanguinis cursum suum jugiter peragentis, in contractiones nimias sollicitentur; aut ex quadam acri materia capillares infestante, etiam si tunc quidem temporis haud præter solitum sint irritabiles. Prioris sententiæ patroni minus audiendi sunt, propterea quod arthritici insultus neque in prima ætate quando partes corporeæ sunt maxime irritabiles, neque in juventute quæ inflammationibus maxime est obnoxia, at post vitæ *ακμην* quo tempore totum corpus est minus irritabile, vehementissime ingravescant. Ad eorum igitur partem qui inflammationes podagricas ex acribus humoribus sanguinem totum corrumpentibus proficisci docent, libentes accedimus.

Morbi qui ad nervos potissimum spectant, cujusmodi sunt Apoplexia, Epilepsia & Paralysis, suum ortum podagricis doloribus nonnunquam debere videntur; utrum tamen ab acri stimulo an interno quovis nervorum vitio pendeant, haud facile est confirmatu. Usu quidem compertum habemus, morbos prædictos qui vulgo audiunt nervosi, stimulo irritanti nonnunquam jure apponi posse; si tamen eos ab acri materia podagrifica oriri supponamus, plures certe hujusmodi morbos quam fert consuetudo, ipsæ podagræ supervenire, expectare liceret.

Ex alterâ tamen parte, cum, partibus extremis levatis, hisce sœvis doloribus eodem fere temporis articulo corripiantur viscera, alienæ a nervis causæ repentinæ hasce mutatio-

nes

nes, primo quidem aspectu, vix attribuere possumus; ab ipsis enim extremitatibus usque ad viscera acrem materiem tam subito transferri, profecto est parum credibile. Quid autem obstat cur minus credamus totam sanguineam molem, eodem tempore, materiam ipsam podagrā imbui posse? Et eodem quidem modo, quo multa medicamenta, hæc materies vi quadam singulari, quasvis corporis partes, artus nempe extremos & viscera, peculiariter stimulare videtur. Quum intercludantur aditus quo minus in illos fiant impetus, ad hæc suam illico affectat viam. Simili quidem ratione, mercurio sumpto, aut saliva aut alvo laxius se habente, aut denique sudore, plerunque expelluntur humores noxii. Cui vero restat dubium, quin per totam sanguineam compagem ad tales gignendos effectus diffundatur mercurius, necesse sit? singuli tamen effectus temporibus singulis soli producuntur; quoties enim cunque ab hac parte incipiat, illâc operari definit.

Quæ cum ita sint, eorum, qui pro acri materia disputant, opinio, ad veritatem quam proxime accedere videtur; & nullus fere dubito, quin argumenta jam allata satis valeant ad endandam summam hanc difficultatem e subita acris materiæ metastasi profectam.

P R O G N O S I S.

Si ad senium hic morbus neque tam constanter, nec tam acerbe quam si in annis maturioribus invadat, sœviunt paroxysmi; quamvis enim in adolescentia eorum sedes, progressus & diurnitas sunt incerta, morbusque ipse multo remissior; ac-

crescentibus tamen annis, non solum constantiores sed & acrieres quoque instant. Quo acerbior est, siveiente paroxysmo, dolor, eo brevior evadit paroxysmus, atque intervalla longiora, magisque distincta redduntur, & vice versa.

Juniores arthriticis parentibus nati, si intempestive hunc sibi morbum arcessant luxuriosè vivendo, raro quidem senes fiunt; at qui non nisi in ætate proiectiori, his infestantur malis, præfertim si paroxysmi sint satis regulares atque constantes, sæpe ad senectutem pervenient longissimam (s).

De improviso quidem, podagra est raro lethalis (*t*) ni senio æger sit prorsus confectus, vitalisque vis omnino perierit, aut morbo ab extremitatibus vi depulso intusque graffante, gignantur lethargiæ, hæmiplegiæ, apoplexiæ, asthmata spasmodica, catarrhi suffocativi, peripneumoniæ, hydrops, inflammations vel ventriculi vel intestinorum, unde mortem suos sæpe gradus corripere facile existimemus.

Cum per longum tempus paroxysmis æger, jam senex, conflictatus, artibus sit tophaceis, & alvo tarda, nihil prorsus spei affulget. Junioribus autem, affirmante Hippocrate, quibus adhuc non valde induruit cutis, si cautius se se gerant, a labore non abhorreant, alvoque sint laxiori, de remedio non desperandum est.

R A T I O M E D E N D I.

Vix ullus credo assignandus est morbus, cui plura quam podagræ,

(s) Hoffm. Tom. 2. p. 344. §. 26.

(t) Ibid. §. 27.

dagræ , inventa sunt remedia. Quum enim raro fit repentine lethalis hicce morbus , sæpe evenit ut amici qui salutandi cauſa adveniunt, ægrotum admoneant de nescio cuius singularis medicamenti efficaciâ quod aut sibi , aut quibusdam ex ipsorum faltem familiaribus , egregio fuit emolumento. Iis qui medendi scientiam vel primoribus labris attigerunt est notissimum , quod hæc mala ita se nonnunquam habeant , ut si vilissima nulliusque omnino momenti remedia exhibeantur , æger insig- niter levatus esse videatur ; & hinc hominibus imperitis con- stet de eorum constanti vi & pollentiâ pæne divinâ , quum re- vera latentibus naturæ operationibus , totum hoc quod effec- tum est , debeatur ; quæ quidem etiam si medicinis non adjuve- tur , plurimum tamen ipsa suis viribus valere solet.

Infinita quidem remedia ab hoc uno fonte profluxere , stu- dio indoctorum nimis officioso. At tamen si hic unicus fons pa- tuisset , melius pro humanæ saluti vitæque cautum esset. No- bis vero ab alia origine plura imminent mala & pericula sane graviora. Se enim haud raro ingerit importuna medicaſtri im- probi ſedulitas , qui nescio quam certissimam medendi ratio- nem , ſe ſolum penitus callere pollicetur ; vanis autem hujus- modi jaſtationibus infælices ægri heu ! nimium ſæpe adducti consilio fatali auſcultant , & indociles faniora amplecti , reme- diis periculofiffimæ aleæ plenis in ſumnum vitas adducunt , diſcriben.

Conſtare profecto videtur inter omnes medendi scientiæ af- ſuefactos , ne quidem per totum terrarum orbem , reperiri poſſe aliquam ſubtantiam quam ad quosvis morbos fanandos , aut utiliter , aut etiam tuto quidem per ſingulos eorum cursus ex-

hibere possimus. Si nobis etiam reputemus quod pro singulari
quorumcunque habitu atque temperie, vel in eodem morbi e-
jusdem articulo, opus sit aliis prorsus tractandi rationibus; ni-
hil excogitari potest absurdius quam medicum quemvis sperare
se posse, ope cuiuscunque remedii omnibus temporibus sine di-
scrimine adhibiti, ægrotantem sublevare.

Medicastris ne unquam quidem defuisse, sua facta morbo-
rumque omnium jactata remedia scriptores memoriæ tradide-
runt. Vel possessoris morte, vel quovis fortuito casu, ple-
rumque veris medicinæ professoribus arcana hæc pretiosa tan-
dem innotuere. Usus quidem jam pridem comprobavit, quod si
unum sit fortasse ex his remediis ullius omnino pretii, mille a-
lia aut futilia, aut plane perniciofa habenda sunt. Si ad ho-
diernos Empiricos oculos convertamus, nihil est cur iis potius
quam eorum antecessoribus nostram astringamus fidem. Nec
quidem a medicastris inventa remedia, si modo de eorum usu
aliquid certi constaret, in thesauris nostris recondere, unquam
sumus dignati; iis solummodo, quæ aut parum utilitatis aut
multum incommodi secum afferre videbantur, uti par erat,
repudiatis. Quanto tutius igitur confidendum est, legitimi
professoris sagacitati, quem neque hæc ipsa remedia, neque u-
sus eorum tempestivus, ratioque latent, quam futilibus nescio
quorum auctorum pollicitationibus omnia sine consilio agen-
tium!

Pro morbis acutis non tot jactantur egregia remedia. Ho-
rum enim symptomata plerumque adeo repentina & atrocia
sunt, ut medicus quam celerrime in consilium advocari soleat.
In morbis autem chronicis, sagacem atque acutum medicum
haud

haud segnius accersi oportet; his enim natura languidius se habere, nec multum per se, ipsa valere videtur; opus autem est majori subtilitate & acumine in causis magis e conspectu remotis investigandis. Quæ cum ita sint, confitendum est certe quod vix & ne vix quidem pro quovis morbo institui possit talis medendi ratio] quæ sit & temporum & ætatum omnium atque locorum; nedum pro podagrâ quæ nec adhuc destitit inter medicinæ opprobria numerari. Si vero aliquos morbos certis quibusdam sanari formulis concedamus, nihil tamen beneficii cuivis ex inde redundabit, nisi cauto seduloque medico, qui non modo naturam rite contemplari, & prudenter talia eligere remedia quæ ægrotis maxime convenient, verum etiam opportunissima adhibendi tempora valeat dignoscere. Nihil enim est aliud, in quo fidelis, subtilique ingenio medicus magis præ cæteris enitescere solet, quam tempestive exhibendis medicinis. Quæ de ratione hunc morbum tractandi restant, tribus hisce indicationibus prosequemur.

Prima indicatio est, ut inflammatio in extremitatibus cum remissior fit, excitetur.

2. Ut nimia inflammatio reprimatur.
3. Ut totum roboretur sistema, quominus æger frequentibus in posterum infestetur paroxysmis.

Ut primum attingamus propositum, ut partes nempe extreiores minus inflamatæ, vehementius exardescant: cardiaca intus adhibita & applicationes topicæ, ut ita dicam, ad extremitates aliasque partes laborantes maxime convenire videntur. Nec vero desunt medicamenta tam emetica quam purgativa, quæ, etiamsi inflammationes mitigare plerumque existi-

men-

mentur, visceribus tamen correptis, magno sunt usui in doloribus ad extremitates derivandis, quemadmodum Musgravius, Hoffmannus aliquie de hoc morbo probatissimi scriptores nos certiores fecerunt.

Magni æstimanda sunt emetica ubi parum vigeat vis vitalis, partibusque extremis dolore carentibus, ventriculus solus contristetur. Si adeo comprimantur pulmones ut usui respiratio-
nis pene fiant inepti, torminibusque ventriculus ipse obruatur, præsertim si neque nauseæ nec vomitus, nec eructationes absint, mea quidem sententia, ni ægrotantis vires id ferre recu-
sent, emeticum tutum & simul efficax administrandum est. Nonnunquam fit, ut torminibus vanisque spasmis commoveantur ægri, præsertim si vino jamdiu usi, possetacea, ut aiunt, forilla, decoctum aut quodvis aliud medicamentum una cum emetico biberint. Quum usus itaque ita postulet, vino (x) liberius utendum est tam pro emetico quam cardiaco remedio. Quum primum vomendo emissæ sint biliosæ, corruptæ & aci-
dæ fordes, minuitur spirandi difficultas, pectus sublevatur & interdum sine morâ verus ingruit paroxysmus. Si intestinis correptis, sequatur aut colica arthritica aut diarrhæa, neque eodem tempore dolore immunis sit ventriculus, emeticum lene consulto præscribatur, aut è chamæmeli floribus decoctum, aut theæ viridis quæ satis largiter bibatur. Ubi a ventriculi crudi-
tatis nascatur arthritica syncope, haud parum ægrotanti proderit, prædictum usurpare decoctum, vel viridis theæ quan-
titatem potare quali ad vomendum impellatur; quod si ab his
for-

(x) Musgrav. c. 2. hist. 1.

forbitionibus abhorreat ad vinum confugiendum est nec prius defistendum quam excitentur vomitus. Cum jam inveterascere arthritis cæperit, renes sæpe tentantur dolore nephritico, idque fit modo ingravescente, modo discedente paroxysmo. Nihil est magis opportunum, rebus sic positis, quam è possitatem potare forbillis donec concitentur vomitus.

Usibus jam omnibus sigillatim expositis quibus emetica inser-
viunt ad primum assequendum propositum, simili quidem ra-
tione de alio medicamentorum genere, catharticis scilicet dis-
feremus: hæc enim quamvis itidem inflammationibus resistere
credantur & eā de causā ad secundum nostrum institutum esse
accommodationora, visceribus tamen dolentibus, magno sæpe
sunt adjumento. Stomacho laborante, eadem qua antea de-
monstravimus ratione, dato emetico, hora circiter una, post-
quam è vomendo æger quiescerit, clysterem, duobusque fere
post diebus, aut simulac permittant ægrotantis vires, lene &
simul efficax catharticum adhibenda esse censemus. Si sexta
hora præterita nihil valuerit catharticum, clysterem repe-
tendum hortaremur. Neque unquam aut in arthritica colli-
ca, aut diarrhæa, omittenda est post vomitionem hæc leniter
purgandi ratio.

Potissimum vero enitendum est, medicinarum ope cardiacarum, diaphoreticarum & sudorificarum, ut primi voti eveniamus participes; quandoquidem prædicta duo genera, emetica volo & cathartica, ad squalores noxios è ventriculo aut intestini exhauriendos magis conducunt, quo æger iis remediis novum vigorem enervato corpori inspirantibus, sanior evadat. Laborante stomacho, & tum emetico tum clystere præscriptis,

exhibeatur cardiacum; & ni exinde ad partes extremas migrare malum cogatur, nequaquam a cardiacis desistendum est. Huic usui nihil magis convenire videtur quam vinum Maderense, de quo libras duas aut etiam tres ægro quotidie potare licet si vino & liberaliori vivendi instituto se olim dederit. Non nunquam fit in arthritica colica ut post purgationem spasmodicis malis contrahantur intestina; in tali rerum statu, proderit vinum, si sub clysteris forma sæpius repetatur. Ubi etiam arthritica diarrhæa inveterascente, jam deficiant agrotanti vires, cardiacis sunt reficiendæ. Nisi ad crisin mox perveniat diarrhæa per bidui aut tridui spatium, eliciendi sunt sudores mane & vesperi; iis enim bis terve repetitis, fistitur plerumque alvus, malumque arthriticum ad extremitates transit. Contra syncopen hoc morbo orientem, nihil æque valet ac cardiaca. In tali rerum conditione, confirmat Musgravius sibi sæpe omnia prospere cessisse spiritu vini adusti aut per se, aut una cum cardiacis aliis, exhibendo. Ubiunque ventriculus debilitate prematur & languoribus, teste Sydenhamo, vinum canarinum modicè bibendo ægroti maxime levari solent.

Quando medicamina, cardiaca, & diaphoretica ad dolores in extremitates abigendos parum profuere; externis nonnunquam ob eam[causam applicatis, res feliciter cessit. Sydenhamus tamen qui in hac palæstrâ faustissimè laboravit, hanc methodum inculpat] quasi plane perniciosam. Quod si hic auctor suam medendi rationem non nisi ad hos dolores extremitates infestantes accommodasset, quas jam intumescere etiam & inflammari constituit, & medicamenta vi repellendi prædita, potissimum ab eo reprehendi concedatur, libentissimè fane in-

ean-

eandem ibimus sententiam. Innumera fere exempla in aucto-
ribus maximo usu & exercitatione inventa sunt, quibus hæc re-
media repellendo vehementer nocere pateat. Attamen si sto-
machus oppugnetur, & medicamenta prius præscripta votis
nostris minus responderunt, in doloribus ad optatam in extre-
mitatibus sedem eliciendis, sine ullâ dubitatione, cataplasma-
ta, ovinam pellem, aut quædam rubefacientia adhiberem; la-
ter aut ferrea lamina calefacta pannisque involuta, aliqua ex par-
te huic usui inserviant. Aut in lecto, aut sponda se æger con-
tineat, ut quam optime a frigore defendatur. Ubi medicamen-
ta assumpta retinere nequeat ventriculus, abdomini singulis
diebus tepida fomenta sæpius apponere, haud erit inutile. Quod
etiam fieri debet in arthriticâ colicâ cum intestina ita spasmis
exagitentur, ut ne fortissimis quidem catharticis commoveri
possint. Rebus sic positis, multum quidem spei ostenditur ex
tepidi pediluvii usu, quod valde profuisse sæpe perspectum est,
in sedandis intestinorum spasmis & convulsionibus, & ad dolo-
res maturius in extremitates deducendos nonnihil efficere vide-
tur. Strigile, aut molli lanulâ, per longum tempus partes exte-
riores constanter exercendæ sunt; & parva hæc non contem-
nendo, magni percipientur fructus. Si visceribus levatis, ex-
tremitates præ doloris immanitate tumescant, auctore Musgra-
vio, fælicem quidem eventum a vesicatorio applicato, sperare
licet. Foveatur pars infirma, pannisque laniis obtegatur ne-
cessè est, ne se inflammatio nimis celeriter remittat. Exercita-
tionibus æger, quales quantasque vires ferre valeant, utatur;
& equo, aut si id nimis laboriosum sit, curru vehatur; & ne
frigore lædatur curare, oportet. Cibis levioribus utatur, & bo-

no sane nutrimento ; & subinde aut vinum Madarense , aut serum ex lacte vinoque Hispanico confectum , ut facilior sit perspiratio , ebibat . At in regimine idoneo præcipiendo , tam ad ægrotantis usitatam vivendi normam , ratio præcipue est habenda , quam ad cibos qui palato maxime arrideant .

Eas solummodo rationis hactenus exposuimus quibus natu-ram languescentem stimulare conetur medicus , aut quæ affe-rat præsidia , ubi intempestiva & perniciosa medicamenta im-pedimento fuerunt , quo minus ipsa suis ad salutem recuperan-dam utatur conatibus .

Quæ ad secundam spectant indicationem¹ nunc tradere debe-mus ; scilicet , ad nimias inflammationes reprimendas ; at quan-doquidem inflammationes ipsæ sunt acerba naturæ remedia , idcirco fortasse parum præsidii e medico sperandum esse vide-a-tur . Et profecto haud dissimulandum est , quod medico majori debeat esse curæ , ne minus idonea fiant , quam ne omittantur utilia . Unicam tamen quæ plerisque casibus conveniat obser-vationem , adjungam . Si summâ sit æger adolescentiâ , proveniat-que arthriticus paroxysmus a luxu , aut intempestivius bibendo , utilem esse venæfessionem ad febris immanitatem pacandam . Testibus quidem satis probis compertum habeo medicum quen-dam nullius legibus se astringentem , fælici quidem eventu , par-tibus ipsis affectis apposuisse hirudines , ad mitigandam paroxys-mi fævitiam .

Ingravescente malo , semper nocent cathartica , & quamvis ad leniendos dolores aliquantisper conducant , iis tamen ad viscera (y) , constanter deducitur morbus , & inde creantur ægri-

(y) Sydenh. p. 447.

ægritudo, tormina, languores, atque alia inimica symptoma.

Nocent etiam sudores prohibendo naturam suis uti benignis moliminibus, & si profusiores fiant nonnunquam pariunt apoplexias (z).

Perniciofa sunt omnia extrinsecus adhibita, ubiunque inflammationes plus æquo excandescunt, præter pannulos molliores aut lanam sine oleo confectam: hac enim ne externis offendatur undique muniendus est, ægrotantis pes. Ni id prospectum sit, haud levibus frequenter æger vexatur cruciatibus è quovis in lecto motu levissimo. Innumera prope sunt exempla auctoribus optimæ notæ commemorata, quæ satis ostendant dolores sæpe imitiores in aliquod tempus fieri, spirituum, camphoræ, diversorumque astringentium usu; exinde autem perpetuo obvenire periculosa & sæpe prorsus exitialia symptoma (a). Ægroti haud raro securius se committendo frigoribus (b) pœnas morte luunt. Quamvis Aëtius (c) nimirum de uno arthritico qui pedibus gelida immersis multum tulit levaminis, & Pechlinus (d) etiam de altero mentionem facit, qui nivem circa pedes ponendo & quidem in eam sine calceis ambulando, suos mitigavit dolores, & intervalla paroxysmis suis intercedere longiora expertus est; hæc tamen duo exempla certe non sunt tanti momenti, ut tam enormem curandi methodum

(z) Sydenh. p. 449.

(a) Hoffm. tom. 4. p. 373. & 374.

(b) Ibid. p. 350.

(c) Serin. 12. c. 28. p. 321.

(d) Observat. physico med. lib. 2. Observat. 28. p. 280.

dum nobis licet imitari, quotidiana præsertim experientia refrigerante, quæ ex frigore suscepto, mille mala arthriticis immovere declarat.

Si primo etiam impetu adeo sævus est paroxysmus, ut ægerne quidem è cubiculo gradum ferre valeat, lecto se paucis diebus teneat, carnibusque abstineat omnigenis, pulmentariis maxima ex parte contentus; attamen si firmioribus præsidiis opus sit ventriculo, languoribus aliisque diris symptomatibus imminentibus haud denegandus est carnium usus si modo caute, nec sine delectu adhibito, id fiat. Ubi cruciatus plane intolerabiles evadant, aut pravo non naturalium aut medicamentorum vi repellendi præditorum usu, mali ominis ingruant indicia, ad opiata vesperi confugiendum est; ab his vero omnino abstinere debemus, si caput (*e*) ipsum male se habet. Quamvis ægrotanti sustinendo vix sufficient pedes, & a motu quovis lenissimo abhorreant, tamen bis de die, quam primum fieri possit, tam ante quam post meridiem, curru vehi foret utilissimum. Hujusmodi exercitationes nocte sequenti somnos conciliant, calculosque accrescere prohibent, quibus arthritici sunt proclives.

Paroxysmo finito, inventa sunt varia remedia quæ intervallis sumantur ad tertiam indicationem nobis propositam attingendam; ad resarcendam nempe ægri constitutionem, quo minus frequenter recidivas patiatur. Mihi quidem nihil fere amplius provideri posse videtur, quam prudenti non naturalium usu, immaturos præcidere paroxysmos. Parvi sunt momenti me-

di-

(*e*) Sydenh. p. 473.

dicamenta, qualicunque sint modo administrata, ad diathesin ægrotanti propriam cui maximâ ex parte suam hic morbus debet originem, mutandam. De non-naturalibus itaque præcipue cavendum est, si ægrotantium temperamento, habitusque emendare velimus. Si id diligenter observetur, arthriticam diathesin aliquâ saltem ex parte corrigere licebit; & ita sæpe præcludetur fons ipse & origo mali, quod certe magno erit usui tam ad numerum quam vires paroxysmorum minuendum.

Dissentient quidem inter se expertissimi auctores de remediiorum genere quibus prohibeantur paroxysmi. Venæfectionem (*f*) singulis mensibus celebrare utilissimum, alii; alii (*g*) omnino damnosum esse contendunt, adeo ut si fiat intervallis, paroxysmus inde vehementior, si crudelitate doloris remissa, æger hydropicus evadere soleat.

Emetica etiam quovis mense (*b*) ad primas vias expurgandas præcepta fuerunt. Varia quoque laxativa ab his laudata, ab aliis (*i*) vituperata sunt. Nec quidem medicinis sudorem aut diaphoresin (*l*) excitantibus desunt patroni; fordent vero in aliorum (*m*) opinione, quamvis minus nocere existimentur quam venæfæctio & cathartica.

Cuticulam summi pedis cultello (*n*), tertio quovis mense, perstringere, plurimum & sæpius profuisse memoriae traditum est.

(*f*) Piso c. 1. §. 5. p. 406. Hoffm. Tom. 2. p. 346.

(*g*) Sydenh. p. 447.

(*b*) Hoffm. Tom. 2. p. 246. §. 4.

(*i*) Sydenh. p. 447.

(*l*) Carol. Piso c. 2. §. 5.

(*m*) Sydenh. p. 449.

(*n*) Hoffm. Tom. 2. p. 346.

est. In pretio itidem habitæ sunt fontanellæ; sed non docet nostra, nec peritissimorum medicorum experientia, quibus eorum virtutes observandi sœpe fuit summa facultas, has quidvis aliud unquam efficere nisi ut regularis invadat paroxysmus.

Quin etiam amara, aromatica, stomachica, & corroborantia remedia valde fuerunt laudata, adversus impetus arthriticos. Id quod præ ceteris ejusdem farinæ est notissimum, Dia-centaurion veteres nominabant, quod iisdem fere partibus conflatum est ac pulvis ille Ducis de Portlandia decantatus. Quæ ad hujus pulveris historiam pertinent, in uno ex Londinensibus commentariis conscripta sunt doctissimè & copiosissime. Si portionibus satis magnis in aliquod tempus hujusmodi farragines adhibeantur, rem plerumque ad exitum perducunt, arthriticos quidem impediendo paroxysmos, ægrotantibus vero mortem inferendo.

Rarius, & tum quidem cunctanter a veteribus hujusmodi medicamenta præcepta fuisse videntur. Profert quidem van Swieten locum è Cl. Gaubii scriptis, ubi de arthritico quodam memoratur qui postquam his remediis per octodecim menses assueverat, paroxysmorum quidem evasit immunis, marasmo vero superveniente, morte repentina succubuit. Nos autem certiores fecit medicus quidam Edinburgensis, subtilissimo ingenuo, judicioque quidem incorruptissimo, sibi in iis regionibus duodecim innotuisse arthriticos, qui postquam valetudinis fatigis firmam horum medicamentorum usū, sibi visi sunt recuperasse, inopinato in apoplecticos, paralyticos, aut alios morbos lethales incidere. Accedat huc, quod idem exercitatissimus medicus toto vitæ curriculo observare potuisset ne quidem quem-

quempiam fatis constanter, per biennium scilicet, quod est tempus adhibendi solenne, in pulverum usu perseverasse qui non hujusmodi fato tristiori correptus fuit.

Quum variæ medicorum veteranorum opinones ita manifesto inter se pugnent, quam duras sustinebunt partes qui in his castris nuperrime militare cœperunt, dum obnixe studeant, ut nec se sui pœnitentia nec maturius eorum vulneribus extinguantur ægroti quam suo fato! Itaque nimis temere nonnulli colligant hasce sententias adeo discrepantes naturæ observationibus omnes nullo modo posse inniti. Quod si nobiscum reputemus quod in rebus ad artem quamvis, præsertim medicinam spectantibus, nulla nobis via pateat leges constituendi universas, nisi ratiocinationum ope, infinitis prope experimentis innitentium, haud ita prodigiosum videbitnr, auctores etiam expertissimos multum inter se dispare. Et quoniam neque de eorum scriptorum solertia, neque fide dubitare fas sit, hunc nondum fælicius explicare non possimus, quam si varias has opiniones tribuamus variis naturæ observationibus quæ vel in iisdem morbis species omnino ambiguas sibi induere solet. Neque medicis quidem junioribus si ad exactam notitiam remediorum ad omnes fere morbos accommodatorum accesserit ratio quædam conformatioque doctrinæ, arte præceptisque optimis elaborata, inter tot controversias nihil veri eminebit quod sibi ipsis ex usu sit; imo ex his incommodis haud raro licebit sua comparare commoda. De nihilo magis ut mihi videtur, à se invicem discrepant talium scriptorum sententiæ, quam de venæsecctionis inter paroxysmos utilitate. Quidni autem existimemus hos venæsecctionem ideo improbare, quia detimento esse senio morbove confectis; & è contra illos talem praxin laudibus idcirco efferre quia juniores & plethoricos inde sublevari usu com-

pertum habuissent. Ex usibus enim quibus plerumque inservit venælectio expectemus necesse est, ut licet illis perniciosa, his tamen evadat valde fructuosa.

Itaque ut ut a prima facie sibi ipsis contraria hæcce videantur præcepta, non illico sunt contemnenda quia accuratior naturæ indagatio ea pro re nata vera esse comprobare possit. Magni igitur refert antecessorum sententias non nescire; acri vero judicio opus est in iis expendendis, ne serviliter imitemur nec nunquam praxin de quavis causâ instituere, ab eorum normis abhorrentem audeamus. Haud vero temere quidem medicinæ studiosi in animum inducant majores in iis quæ nobis tradiderunt à veritate sæpius aberrasse; quamvis enim præcepta ad omnia tempora & occasiones nullo modo excogitari possunt, quotiescumque tamen longo usu & experientiâ certa comprobata fuit eorum auctoritas à veritatis norma parum declinasse censenda sunt. Itaque in eorum sententiis expendendis nimis diligentes esse non possumus, priusquam in aliorum vestigiis insistere, aut recedere ab iis medicis audeamus de quorum judicio, usu & fide inter omnes constat. Quæ cum ita sint, nonne de tali medicamine omnino desperandum esse videtur quod, paroxysmis intermissis, podagricis omnibus æque conveniat. Sunt autem quædam in hunc scopum admonenda quæ nonnullius pretii habentur.

Peracto paroxysmo, ad talem victus rationem se æger componat, ut neque stomachus plus æquo oneretur; nec alimentis careat ad vires reficiendas necessariis. Tenuiores, & qui cibi palato maxime sint grati, elegantur. Inter edendum, uno esculentorum genere sit contentus.

Salsamentis abstineat cibisque aromatis conditis. Vetulæ, pinguesque carnes omnino nocent. Prandiis magis quam cænis gau-

gaudeat, imo his nonnunquam carere, semper temperatissimis uti, expediet. Potulentis vino quidem tenuioribus, at aquâ generosioribus se assuescat. Acrioribus vinis nihil prope est nocentius. Maximi vero est momenti ad quotidianam ægrotantis consuetudinem victumque, rationem habere; liberaliori enim ejus usui deditis, vinum interdicere, plane foret perniciousum. Rebus venereis nimis indulgere noxium est. Sollicitudine, studiis, speculationibus reconditis & omni animi perturbatione, ut vacet æger, permagni refert; quippe quod digestioni obstant. Nihil magis proderit quam quotidianis sese dare exercitationibus, & strigile quam sæpiissime pefricari. Subuculæ induantur lanariæ. Ut æger se matutinus agat, mature ad lectum se conferat. Lacte vivendo, arthriticos magnâ ex parte impediri posse impetus, plerique scriptores judicârunt. Testatur Sydenhamus se observasse lactis usum iis fæliciter cessisse qui in suâ sententiâ satis assidue constiterunt; at si incipias, neque gnaviter perstes, eventus mali quidem ominis sæpe sequentur. Quum tam diuturnitate morbi, quam senio ægrotis vires maxime deficiant, lac pro assiduo vietu nemo certe medicorum jubebit. Et quidem juniores ipsos quibus solidæ stant corpore vires, ab ejus usu illico desistere oportebit, simulac ventriculus cruditatibus urgeri, aut hypocondriaca symptomata ingruere cœperunt. Lactis serum bibere multoties bene verit; & quibus arridet iis aliquando recte præcipitur.

Aquas medicatas haud pauci auctores quam plurimum valeare ad hunc morbum subigendum prædicant. Magna quidem pollicetur Musgravius, ab aquarum chalybe imbutarum exhibitione; & summo studio chalybis præparationes tanquam hujus morbi prophylacticas collaudat. Magna mihi est copia exemplis probandi Hoffmanni memoratis, *Thermas Carolinas* sæpe

ingenti fuisse auxilio, postquam nihil fere remediorum ope processisset. Tantum efficisse contra dolores arthriticos in agro Derbyensi, *Buxtonienses* tepidas aquas ego observavi, & talia de harum qualitatibus ipse experimentis comperta habeo, ut nullus sane dubitem quin iis prudenter exhibendis tam internis quam externis, maximâ ex parte, fælicissimos speremus eventus. Accedat huc quod ubicunque calculus & arthritis se invicem excipient, id quod sæpe fit, præcipui sint usus. Id autem insigniter proximâ æstate revera comprobatum vidi, cum per longissimam medicamentorum seriem nihil votis respondisset. Aquæ Buxtonienses ad sudores promovendos, ad primas vias roborandas totumque sistema confirmandum, conducunt. Omnes vero earum virtutes, morbos quibus medendis inferviant & quibus sub cautelis optimè sunt utendæ commemo rare; non solum tædio esset, sed omnino præter hujus opusculi institutum. At si quis unquam accurate tali munere fungetur, is meâ quidem sententiâ, non solum de arte medicâ, verum etiam de tota republicâ quam optimè merebitur.

Si tibi forte, lector, in manus venerit hæc nostra tractatiuncula, quas mendas aut ab inscitia aut incuria in illam irrepisse observes, te non severius exprobaturum, at potius veniam libenter concessurum esse spero; præsertim cum hanc non nisi necessitate quadam solenni coactus, aggressus essem; aggressi dientem vero vix differenda me impedivere negotia. Quod si meo unice genio aut famæ laudisque cupiditati obsecutus in lucem aspectumque publicam prodiisse, bilem certe tuam, aut etiam risum, jure movisset ambitiosa ingenii pauperis ostentatio.

F I N I S.